







1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9

1710.

1. Eschhart, Christian Filianus : De pactis inter reges metores et captivos.
2. Homborgius, Anders : De referendis iuris
3. Homborgius, Anders : De jure consensu. Tern.  
Kappel-Fagten 3 Sept. 1710 - 1751.
4. Homborgius, Anders : Thesaurus miscellaneorum Decas.

1711.

1. Engelbrecht, Johann Wilh. : Oratio de jurisprudencia vesto ambitu et nomine iuriconsulti, cum juris doctorem renunciaset, habita.
2. Engelbrecht, Johann Wilhelmi : De consenso factio.
- 3<sup>a</sup> Engelbrecht, Joh. Wilhelmi : De legitimo, per quam separantur liberi. 2 Sept. 1711 - 1751.
- 4<sup>a</sup> Engelbrecht, Dr. Wilh. : De iure peregrinationis

5. Engelbrecht, Iohann Wilhelm : De jure stipulac  
6. Schmidius, Dr. Iur. : Notitia ordinis Cisterciensis  
et S. Bernhardi penitentia maxime illustris.  
7. Waltherus, Dr. Iur. : De praecambulis privatorum  
tractibus coramque iure.  
8. Waltherus, Dr. Iur. : Conclusiones judiciale  
theorico-practicae.

1712.

1. Engelbrektus, Georgius : Programma lectioni cursoriae  
... can. scilicet Iamna a Spreckelsen -- habendae pro  
missione.  
2. Engelbrekt, Georg : De usu forensi articulorum  
positionalium coramque abusa praescindendo.  
3. Hornius, Cap. Henricus : De interusurio.  
4. Vressius, Iohannes Paulus : De religione judiciorum  
Pyrinianis.

5. Lysurus, Augustinus: Oratio, qua (communione  
jure consulti . . . manus auspicatur et) erorem  
Germanorum carceras academias patrias proferunt.  
Hinc repellit.

6. Lysurus, Augustinus: . . . generosus . . . academicus  
civis et lectiones suas . . . invitat et simul vix  
veritatem et justitiam facti, quae locutus V. Philip  
ponit, Harriae landgravium, antiqua vocis clavis  
inquit.



Pr. 2. num. 21. A. 22. 8  
IMI  
DISSERTATIO JVRIDICA IN AVGVRALIS  
DE JVRE CONVENANDI  
GERM.

Koppel-Hagten

QVAM  
DEO OPT. MAX. FAVENTE  
EX DECRETO ET AVTORITATE  
MAGNIFICI CTOVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI IULIA  
PRÆSIDE  
ANDREA HOMBORGIO  
JCTO ET PANDECTARVM PROFESSORE PVBL.  
ORDIN. H. T. VICE-RECTORE ET SVI  
ORDINIS DECANO SPECTABILI DICASTERII  
AVLICI WOLFFERBYTANI ASSESSORE  
GRAVISSIMO  
PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO  
ÆTATEM OBSERVANDO

PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONO-  
RES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

KÖNIGFRED  
UNIVERS  
ZVHALLE  
PLACIDO ERVDIT ORVM EXAMINI  
AD DIEM XIX. SEPTEMBRIS ANNO MDCCX.  
IN IULEO MAJORI  
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PVBLICE SUBSICET

JOH. CONRADVS SÖNLEIN, WOLFFERBYT.  
IN PATRIA ADVOCATVS ORDINARIVS.

HELMSTADII,  
TYPIS GEORG-WOLFGANGI HAMMII ACAD. TYPOGR.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI  
ANTONII VLRICI  
DVCIS BRVNSVICENSIVM  
ET LVNEBVRGENSIVM PATRIÆ  
PATRIS CLEMENTISSIMI  
DOMINO CANCELLARIO  
CÆTERISQVE DOMINIS  
CONSILIARIIS  
VIRIS  
PER - ILLVSTRBVS GENEROSISSIMIS  
PRÆNOBILISSIMIS ATQVE CONSVL-  
TISSIMIS DOMINIS ATQVE EVERGETIS  
SVIS SVBMISSO ANMI CVLTIV  
SVSPICIENDIS  
DISSERTATIONEM HANC  
IN AVGVRALEM  
IN DEVOTÆ MENTIS AC OBSERVANTIÆ  
TESSERAM EA QVA PAR EST PIETATE  
ET REVERENTIA OBSEQVIOSE

D. D. D.  
AVTOR.



Q. D. B. V.

## *Discursus præliminaris.*

**D**E Exordio proprietatis, seu Origine Dominii inter doctissimos, ac ingeniosissimos viros non satis convenit. Varias doctorum viorum, de intricatô hoc argumentô, opiniones recensuit, examinavitque Excellentissimus Vitembergensium Jurisconsultus, *Job. Henr. Bergerus*, in eleganti dissertatione, quæ superiori anno, sub titulo: *de Exordio Proprietatis, seu Origine Dominii, in lucem prodiit.*

### §. I.

Nobis, salvô exquisitiûs pensantium præjudicio, Consultissimi *Titii*, Jurisconsulti Lipsiensis, opinio præ cæteris arridet, statuentis: *ab initio omnes res fuisse in mediò expositas, seu Nullius*, h. e. dominium universale rerum sublunarium à Deô humano generi quidem donatum ac destinatum, sed ab hominibus, mediante occupatione, nondum acceptatum fuisse. vid. laudati viri *Obseru. ad Pufendorff. de Off. Hom. & Civ. obs.*  
277. n. 2.

### A

### §. III.

\* ( 2 ) \*

§. III.

Scilicet, non frustrā à Deō creatas esse res sublunares, sed, præter Sui gloriam, in usum hominum, consequenter, hominibus concessām esse facultatem, rebus creatis, tām animatis, quām inanimatis utendi, tam ex consideratione humanæ naturæ & lumine Rationis, quām Revelationis constare arbitramur. vid. Gen. i. v. 28. § cap. 9. v. 2. add. Thomas. Instit. Jurispr. di v. l. 2. c. 10. §. 9. Pufendorff. de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 12. §. 1. Dn. Berger. supr. alleg. dissert. th. 5. § seqq. illam autem facultatem rectē haberi pro jure, cūm ex permissione divinā oriatur, immō pro verō dominio universali, vel inde colligitur, quia, nisi hoc præsupponas, dominia singularia, facto hominum introduci, ac constitui nequivissent. Pralaud. Titius, observ. 267.

§. IV.

Uti autem dominium illud universale, à Deō humano generi oblatum, ab hominibus acceptaridebuit; ita modum acceptandi, sive dominium habendi & acquirendi ab hominum arbitrio, legibus tamen socialitatis, seu mutui amoris, attemperato, dependisse, adeoque originem dominii singularis unice ex factō hominum arcessendam esse, arbitramur: cūm Deus modum partiendi dominium nec præceperit hominibus, nec communionem aliquam, vel dominium singulare introducerit, nec vel omnibus, vel nonnullis humani generis individuis de proprietate singulari immediate prospexerit. Dn. Titius, obs. 278. & in Dissert. de Dominio in rebus occupatis ultra possessionem durante, th. 18. § 19. add. Franzk. Ex. 1. qu. 6.

§. V.

\* ( 3 ) \*

§. V.

Factum autem illud, sive modum, dominium *primitus* acquirendi, in genere vocare possumus *occupationem*: hæc enim est rei nullius, cum animo, sibi eam appropriandi, apprehensio. *Thomas Inst. Jurispr. Div. L. 2. c. 10. §. 140.* add. *L. 1. S. I. ff. de A. vel A.P.* Ut autem rerum apprehensio variat, prout res ipsæ variant; ita, quamvis occupationem per *apprehensionem* descripserimus, neutrum tamen realem apprehensionem, seu capionem *naturaliter, præcisè, & absolutè*, ad acquisitionem originariam necessariam esse existimamus; quin potius *occupatio* nobis solum *instar medii est, voluntatem acquirendi alii indicantis*. Sicut igitur voluntatem nostram alii quoque actibus, æque habilibus, v.g. visu, jaculi emissione, vulneratione, persecutione, inclusione, ingressione, &c. indicare possumus, ita & hosce actus *naturaliter ejusdem efficaciam esse cum occupatione, prorsus existimamus*. Ex quô, inter alia *consectaria*, hoc quoque fluit, quod hodie dominium ferarum, in territorio existentium, etiam *ante occupationem realem Reipubl. ac Imperanti recte tribuat*, *Dn. Titius ad Puffendorff. Obs. 292 & 295. & in Observat. ad Lauterbach. obs. Mx.* it. *in suprà alleg. dissertat. th. 20. non obstante, quod plerique, quos inter & Bergerus, in Resolut. ad Lauterbach. tit. de acquir. rer. dom. contrarium statuant. Quæ enim heic à dissentientibus in medium proferuntur, veluti l. 3. §. 14 ff. d. A. vel A.P. & sim. procul dubio ad jus positivum pertinent.*

## §. VI.

S. VI.  
Uti igitur Generale occupationis objectum sunt  
res Nullius. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 8. §. 1.* ita speciale  
A 2 ejus,

ejus, inter alia, constituunt feræ bestiæ, sed *quamdiu re-vera sunt nullius*. Harum, & quidem terrestrium, occupatio, in specie *Venatio* vocatur, modus acquirendi antiquissimus, & tam Jure Divino ac Naturali, quam Romano, cuilibet permisus, vid. Beatus D. Mehlbaum, in *dissert. de Jure Venandi* th. 8. *Westenholz in dissert. de Jurisdictione Forestali*, c. i. §. 4. & seqq.

§. VII.

Notanter diximus : *feras*, *quamdiu sunt revera nullius*, occupationis objectum constituere ; *Quamdiu autem feræ nullius dicendæ sint*, quæstione non vacat. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 8. §. 2.* Sanè ab initio, uti omnes res creatæ, ita & feræ bestiæ, procul dubio fuere *res nullius*, adeoque à quovis occupari & acquiri potuere. Quò sensu si capias Justinianum in §. 12 *Inst. de rer. divisi.* effatum ejus, unà cum regulâ naturali, quod *res nullius cedant occupanti*, rectè fese habet. Ast, mutata rerum facie, & constitutis civitatibus, feræ indistinctè pro rebus nullius haberi amplius non possunt. Non me quidem latet, dari adhuc hodie civitates & loca, ubi cuivis venari licet, ceu de Hungariâ testatur *Thom. Lansius Orat. pro Hungaria. Klock. de Aerario. c. 5. n. 51.* quò & forsan referendus est locus in Ducatu Luneburgensi, qui vocatur *im Freien/ B. Dn. Consiliarius Engelbrecht Compend. Jurisprud. ad tit. ff. de acquir. rer. dom. th. 5.* Dari quoque in Germaniâ feræ quasdam, quæ adhuc hodie pro rebus *nullius* habentur, & à quovis occupari possunt. Ast, uti unum alterumve exemplum nec facit, nec tollit regulam ; ita saltem de Germaniâ constat, quod jus venandi hodie

com-

\* (5) \*

communiter, & in plerisque regionibus ad Regalia referatur ; quod autem de feris quibusdam, adhuc hodie in Germania alicubi pro rebus nullius haberi solitis, monuimus , id de feris noxiis & vilioribus intelligendum esse, apud cordatores extra dubium est.

§. VIII.

Quamvis igitur de Jure Romanô nihilominus & post constitutas civitates feræ inter res nullius referantur , adeò , ut à quovis non tantum in fundo propriô, sed & alienô, occupari & acquiri possint , §. 12. Inst. de Rer. di-vis. L. 16. ff. de servit. præd. rust. L. 13. §. fin. ff. de Injuriis. L. 28. & 29. ff. ad L. Aquil. eaque sententia multis arrideat , ac simplicitati naturali optimè convenire existimetur ; tamen , si rem ex verô aestimare volamus, hæc Romanorum sententia, non obstante, quod Dn. Thomasius, in not. ad Huberum de Jure Civitatis L. 2. sect. 4. c 2. §. 19. lit. r. statuat, Principes Romanos hoc intuitu juri suo renunciaſſe, egregiè fallit , nec in Germaniâ usum habet ullum , utpote in quâ & olim dominium sylvarum & ferarum ad universitatem & Rempublicam pertinuit, vid. Schilter. Exercit. 45. §. 4. ubi id ex Julio Cæſare & Tacito probat ; & adhuc hodie regulariter pertinet.

§. IX.

Fallit autem Romanorum sententia, dum id , quod pro certo statu naturale est , simpliciter tale existimat. Fuerint ab initio feræ bestiæ nullius , adeoque naturaliter à quovis ubique occupari & acquiri potuerint, an autem conditio ista ferarum semper fuit & manisit eadem? an non potius dicendum , quod statum mutaverit

\* ( 6 ) \*

rit per acceptationem civitatis , adeoque feræ , constitutis civitatibus , dominio publico civitatis , virtute constitutionis fundamentalis , & jure accessionis , fuerint subjectæ ? add. Dn. Thomas. supr. cit. loc.

§. X.

Egregiè hoc, ut solet ostendit *Titius*, tum in notis ad *Pufend. de Off. Hom.* § Ci-v. tum præprimis in *Specim. Jur. Publ. Rom. Germ. lib. 3. c. 7. §. 16. 17. 18. § 19.* Scilicet, postquam homines res , ab initio nullius , sensim sibi afferuere , res , hactenus nullius , factæ sunt alicujus , & pro diversitate acceptantis , vel communes , vel singulorum , vel publicæ . Cùm igitur homines , nexus civili conjuncti , certos terræ tractus possideant , non tantum illæ res statum concessionis divinæ mutasse censemde sunt , quæ à singulis actu tenentur , sed potius existimandum est , totum illum tractum , omniaque ibi contenta , dominique privati expertia , generaliter sibi afferuisse universam civitatem , adeoque dominium illarum rerum huic , ob istam assertionem , omnino esse tribuendum.

§. XI.

Ex quo consequitur , idem obtinere in distinctis Germaniæ territoriis , postquam eadem superioritate territoriali animari coeperunt , adeò , ut omnes res alicujus pretii , quæ actu à privatis non tenentur , non sint dicenda amplius nullius , nec privatorum , sed potius publicæ . Hactenus *Titius*.

§. XII.

Et hoc est fundamentum , quo nititur jus venandi , Principibus competens , & hinc est , quod hodie soli Reipublicæ jus venandi originariè competit , hōcque ad-

\* (7) \*

admissio, non opus est, ut cessantem hodie occupandi facultatem demum à speciali legis prohibitione, vel præscriptione quâdam immemoriali cum *Habnio*, ad *Wesemb.* tit. de acquir. rer. dom. n. 7. aliisque pluribus, quos allegat *Arniseus lib. 3. de Jur. Maj. cap. 4. n. 9.* repetas, ac de ejus justitiâ sis sollicitus. vid. *Titius ad Pufend. de off. hom. & ciu. obs. 295.* add. *Franzk. Exerc. 4. qu. 2.*

§. XIII.

Cùm igitur ex dictis liqueat, quod, constitutis ci-vitatibus, feræ non amplius inter res nullius referri possint, adeoque Juris Romani, cuivis occupandi facul-tatem concedentis, nullus in Germania sit usus, sed po-tius jus venandi hodie inter jura publica referatur, hinc est, quod subditi hoc jus non nisi ab Imperante habeant, qui illud plerumq; feudit titulo concedit, quô facto, jus ve-nandi, alias publicum, inter jura privata locum sortitur.

§. XIV.

Quamvis autem jus hocce venandi regulariter in proprio solum fundo exerceri queat, ad alienum verò, fecus ac Jure Rom. regulariter extendi non possit, prout hoc etiam legibus Provincialibus passim prohibi-tum est; vid. *Ordin. Provinc. Saxon. de anno 1555.* *Carpz. p. 2. c. 3. def. 25.* Experientia tamen, rerum ma-gistra, testatur, quod & in alieno fundo simul cum aliis exerceri possit, quod *jus convenandi* vocatur, idque le-gitimè acquisitum, minimè prohibitum censendum est: Ut enim juri & æquitati non repugnat, ex alieno præ-diô & fundo utilitatem aliquam percipere; ita nulla ratio juris impedit, quo minus duo vel plures in uno eodem-

\* (8) \*

cōdemque fundō venationem exerceant , vid. *Casp. Klock.* tom. I. consil. 29. num. 699. & seq. cūm possessio vel qs. non modo diverso respectu penes uno plures esse possit. *Cardin. Tusch.* sub lit. P. conclus. 429. n. 8. 9. & seq. sed & in incorporalibus duo vel plures eandem in solidum habere valeant. *Villalob.* conf. 177. lit. P. Insuper quoque consuetudo Germaniae Convenatio-nes satis superque probet. vid. *Meischner.* Tom. 3. decis. 33. n. 17. *Gylmann. Symphorem.* p. 1. vol. I. n. 28. *Petrus Gilken. de præscript.* P. I. c. 6. n. 285. *Noë Meurer. von Jagd und Forst-Recht* part. 4. fol. 5. §. *Denn eistlich.* *Casp. Klock.* tom. I. consil. 29. n. 699. & seq.

§ XV.

Cūmque de hoc jure sēpissimè lites orientur, prout communio foecunda litium mater esse solet, operæ pretium me facturum existimavi, si de eo in dissertatione hāc inaugurali pluscula in medium protulero. Fiet autem hoc quinque Capitibus, quorum primō agetur, quid sit convenatio, quæ origo vel occasio ejus, ac fundamentum, Cui, & quatenus competat? Secundo, ex quibus causis competere soleat, seu quomodo acquiratur? Tertio, quomodo rite & legitime exerceatur? Quarto, quomodo confer-  
vetur? Quinto, quomodo finiatur & amittatur?

Faxit Deus feliciter!

CAP.

\* (9) \*

## CAP. I.

*Quid sit Convenatio, quæ origo  
vel occasio ejus, ac fundamentum, Cui,  
et quatenus competit?*

**J**us convenandi (quod et Convenatio, simultanea Venatio, Germ. Ruppel - vel Roppel-Jagt / item Saint-Jagt / Gemein-Jagen / Mit-Jagen / vocatur) est potestas, in alieno fundo, cum ipso Domino, vel tertio quadam simul, immo insciò et invito quandoe domino, venandi.

### §. I.

Prima juris convenandi, præprimis in Germaniâ, origo, uti plura alia jura, incerta videtur. Possunt equidem dicere, quod ejus vestigia in Jure Romano, vi cuius venationes, ut retrò dictum, promiscue, tam in proprio, quam alieno fundo, permisæ ac licitæ erant, occurrant; ast, uti hoc nimis longè petitum foret, ac nonnisi adoratoribus Juris Justinianei placere aptum esset; ita speciem quidem habet opinio Fritschii, in tr. de Convenatione, membr. 3. §. 2. statuentis, quod, cum antiquis temporibus venationes magis fuerint liberæ, nec certi earum limites, ut hodie, positi, in alieno etiam venari frequens fuerit, acciderit, vicinum factâ postea jurisdictionum ac territoriorum divisione, ac disternitione

B

natione

\* (10) \*

natione conventionem sibi in alieno retinuisse ; sed, quamcunque etiam originem heic tibi finges , non tamen erit, ubi pedem tutò figas.

§. III.

Fundamentum Juris convenandi consistere videatur respectu concedentis , in potestate , disponendi de re suâ ; respectu acquirentis verò in habilitate, jus illud acquirendi , idque pro modò acquisitio- nis simul cum domino, vel tertio , immò inscio quan- doque & invito domino, exercendi.

§. IV.

Descripsimus jus convenandi per potestatem h. e. facultatem jure competentem ; annon verò generis loco rectius ponatur *Servitus* , quæstione haud vacat. Sancè convenatio est species venationis, venatio autem, præcipue quæ in fundo alieno competit , à quamplurimi Doctoribus pro servitute habetur. Et quidem pro reali ac discontinuâ eam habet *Gail* 2. obsf. 66. personalem esse putat *Wesenb. de feud. c. 1. n. 2.* jurisdictionalem , *Zaf. vol. 2. conf. 6.* innominatam, *Zoanetus de Venat.* *German. in fin.* Singulas singulorum rationes examinare, instituti ratio non patitur. Interim ad nostrum quidem sensum , neque venatio , neque convenatio, proprie servitus est. Videntur itaque dissentientes nimium ad jus civile vetus respexisse. Cùm enim Jure Rom. venatio cuilibet libera esset , actantù n ingressus fundi alieni prohiberi posset , inde fortasse putarunt, jus venandi consistere in libero illò ingressu fundi alieni , & in servitute, actui vel viæ haud absimili , arg. §. 1. *Inß. de Servitut. præd.* Sed cùm hodie jus venandi pri- vatis

vatis non competit, & principaliter *in facultate ipsa investigandi & capiendi feras*, non autem in potestate ingredients fundum alterius, consistat, recte in dubium heic vocatur genus servitutis. Non obstat, quod tamen in aliquibus cum jure servitutis conveniat, ut in modò præscriptionis, probationis &c. nam in quo-vis negotio id, quod est principale, considerari, attendique debet. arg. L.21. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc. Mehlbaum diff. de Jure venandi th. 12, add. Hahn. ad Wesenb. tit. de acquir. rer. dom. n.7. præcipue tamen §.2. & 3. c. 4. infr.

§. V.

Quicquid sit, id saltem certum est, *jus convenandi*, perinde uti *jus venandi*, neque simpliciter, neque semper, *servitutem esse*. Quæ enim à dominis territoriorum in vasallorum fundis alicubi exercetur conventionatio, quâ de *in seqq.* ea sane non ex jure servitutis, sed longe alio capite, videlicet superioritatis territorialis, ab ipsis derivari solet. Quæ verò privatis in alterius privati fundo quandoque competit, ea ex variis causis v. g. pacto, transactione &c. acquiritur, adeoque servitutis nomen habere vix potest. Interim, cum salus Græciæ in hoc sita non sit, facile heic quemvis suo sensu abundare patiemur.

§. VI.

Videamus igitur, *Cui jus convenandi competit?* Jus convenandi, ratione subjecti, est vel publicum, vel privatum. Quoad prius, nobilis ac decantata quæstio est: An fas sit Domino territoriali in agris vasallorum & subditorum conventionem exercere? Ob ein Lan-

des-Herr / von wegen seiner Förl. Obrigkeit / mit de-

B 2

nen

nen im Lande gesessenen Nobilibus , das Mit-Jagen  
habe ?

## §. VII.

Quidam hoc simpliciter affirmant , idque ob sequentes rationes : (1.) quia venationes , moribus Germaniae , ad Regalia pertineant , adeoque Principes ac Domini territoriorum fundatam intentionem habeant per totum territorium venandi : cùm nemini privato venari liceat , nisi hoc ei nominatim concessum sit , *Carpz. Lib. I. Rep. 44. n. 14.* in tantum , ut licet quis in possessione sit , tamen contra Principem , pendente lite , in possessione manutenendus non sit , cùm resistentiam juris communis hodierni contra se habeat , uti responderunt Dni. JCti Vitembergenses mense Jan. ann. 1691. teste *Hornio in Jurispr. feud. c. 8. §. 50.* Licet igitur (2.) Princeps , aut territorii Dominus , vel per simplicem concessionem , vel per investitaram feudalem , jus venandi alicui indulserit , nihilominus tamen ipsi convenatum deberi , ac Principem simultaneam venationem sibi refervasse videri . *Neuenhan de Jure venandi. concl. 104. & seqq. Bidembach. qu. Nobil. 15. & 16.* Venationem enim servitutibus annumerari , servitutes autem non privativè , sed cumulative concessas censi . *L. 2. §. fin. ff. de Servit. præd. ruf. l. 16. ff. commun. præd. add. Schrader. de feudis p. 10. sedl. 5. n. 174. jung. Berlich p. 2. concl 49. n. 6.* Quemadmodum igitur quælibet concessio censeatur esse cumulativa potius , quam privativa . *Mynsing. Cent. 6. obs. 99. Mev. p. 1. dec. 44. in fin.* Ita in specie venationem strictissimam recipere interpretationem , cùm Princeps de Regalium exercitio , mini-

minimum remittere voluisse presumatur, adeoque si-  
cut privatus, alteri juris sui usum in suo largiendo , se  
ipsum haud exclusisse presumendus sit L. 6. C. de ser-  
vit. *G aqua*. Prukmann. vol. I. conf. 14. n. 25. Ita nec de  
Principe hoc presumi posse , sed potius hanc regulam  
observandam esse : quicquid Princeps alicui concesse-  
rit contra leges publicas, id salvo jure suo , concessisse  
videri. Böhmer. introd. in jus publ. univ. l. 2. c. 10. §. 15.  
ibique in notis lit. b. neque obstat, quod beneficia Prin-  
cipum plenissimè interpretanda sint, hanc enim regu-  
lam in Regalibus prorsus cessare. Mencke in *Gymnasio*  
*Polem. Jur. disput.* 26. th 1. His (3.) accedere Camerali-  
stas, aperte statuentes , Principes Germaniae jure ve-  
nandi in subditorum prædiis uti posse , non obstante  
jure aliorum, Meischner. Tom. 3. decif. Camer. 33. n. 17.  
Webner. obs. pr. voce *Forst. Recht*. Gylmann. Symphor.  
Tom. 2. p. 1. vol. I. n. 28. (4.) Experientiam , rerum magi-  
stram : nam multis in locis, ubi viget Landsassius , jus  
convenandi , à dominis territoriorum in prædiis va-  
fallorum actu exerceri , ceu de Comitibus Schwartz-  
burgicis testatur Fritsch. de jure convenandi , m. 2. §. 2.  
add. Befold. Thef. Pr. sub voce *Jagen*. Webner. obs. pr.  
voce *Forst. Recht*. Köppen. decif. 15. n. 15. Idque (5.) in-  
de confirmari , quod Principes Imperii ab Imperatore  
cum Jure foresti , omnimodaque venatione in territo-  
riis suis, mit aller Förstl. Obrigkeit Wildbannen / Jag-  
ten und Jagens Gerechtigkeiten / per totum territo-  
rium, adeoque etiam per alienos , sc. subditorum suo-  
rum, agros investiri soleant. Knipschild. de Nobil. L. 3.  
c. s. n. 100. Neque dominos territorii à jure convenandi

excludi posse, etiamsi (6.) subditus vel nobilis jus venandi per præscriptionem acquisiverit, cùm præscriptio odiosa sit, adeoque restringenda potius, quam amplianda. *Coler. Consil. 4. n. 40.* Et seqq. Et consil. 19. n. 29. Et seqq. *Scipio Gentil. de Venat. Concl. 38.* Immò, ex sententiâ Thomasii, contra Imperantem, quoad Regalia, planè non currat. vid. ejus *dissertatio*, de *Præscript. Regal. ad jura subditorum non pertinente*, bab. *Hall. 1696.* licet quoque territorii dominus (7.) jure convenandi nunquam usus fit, tamen illud minimè eum amisisse credendum esse, cùm sit res meræ facultatis, adeoque præscribi nequeat. *I. 2. ff. de via publ.* Et ita. nisi forsan adversarii prohibitio intervenerit, ac prohibitus per tempus legitimum prohibitioni acquiecerit per *I. 18. §. ult. ibi*: qui *jus suum non interpellavit.* ff. quemadmodum serv. amitt. *Struv. Synt. Jur. Civ. Exercit. 43. th. 22.* Interesse enim, an quis jus venandi privativè & cum exclusione domini præscriperit, an verò cumulativè & concurrenter tantum. Si enim ex præscriptione quidem jus venandi obtainuerit, non tamen ab initio solus id usurparerit, vi hujus præscriptionis id sibi soli attribuere non posse, cum præscriptio in alieno sit stricti juris, nec extendatur ad specialiter non possessa, & aliud sit jus utendi, aliud, jus alium ab ejusdem juris usu arcendi. *Hahn. de jure pascendi. th. 35.*

### §. VIII.

Concludunt itaque, fas utique esse Domino territorii in agris subditorum & vasallorum venationem simultaneam instituere: nisi expressè illo jure se abdicaverit. *Böhmer. Introd. ad Jus publ. univ. I. 2. c. 10.* §. 15. *Dn. Titius Jur. priv. Rom. Germ. I. 8. c. 14. §. 10.* §. IX.

Sed nec *Negativa* sententia suis destituitur rationibus , ac communiter inter Doctores recepta est. *Schöpfer. diff. de Venatione superiori c.3. n.13. § 14.* Nam sicut (1.) usufructuarius in percipienda utilitate à proprietario impediri non debet, *l.15. §.6. ff. de usfr.* Ita nec Vasallus à domino directo in utili dominio & fructibus rei in feudum datæ, impediri potest. *Carpz. p. I. c.27. def. 11.* cùm Vasallus jure usufructuarii , imo pleniora, gaudeat. *2. feud. 23. add. Carpz. p. I. c.16. def. 29.* & vi utilis dominii omnes rei fructus & proventus ei cedant , in tantum , ut utile hoc dominium directo, quoad fructus & emolumenta, præferatur. *Rosenthal. de feud. c.8. concl. 2. Ungepaup. differt. de Jure Vasalli, pos. fit. 3.* Cum igitur & venationes in fructibus numerentur, vid. *Schultes ad Modeft. pistor. p. I. qu.15. cum ibidem allegatis,* consequens est, quod dominus directus in iis, uti nec generaliter in utili dominio , cum vasallo concurrere nequeat, sed potius inde à Vasallo excludatur. *Rosenthal. de feud. c.8. concl. 2. n.2. § seqq, add. Berlich. p. I. dec. 60. n.9. § 10.* Quod si igitur (2.) dominus territorii, cum jure venandi aliquem *investierit*, ex natura Juris Feudalis, id *pri-privati-vè*, non *cumulative* , ab ipso factum, reputandum est. *Rosenthal. cit. tr. c. 5. concl. 5. n. 56. Hertijs de superiorit. territ. §. 49.* Regalia enim in feudum concessa, semper *pri-privati-vè* , quoad usum vasalli, concessa censentur, solâ superioritate ac dominio directo, reservatis. *Rosenthal. cit. tr. c. 2. concl. 15. n. 2. B. Stryk. Exam. Jur. Feud. c.9. qu.29.* Idque in specie in venationibus in feudum concessis obtainere , tradit *Rhe-*

\* (16) \*

Rhetius, in Comment. ad Jus Feud. L. I. tit. 2. n. II. add.  
Berger. p. 2. supplem. ad Electa discept. for. in fine.

§. X.

Eadem ratio est, si (3.) jus venandi contra Principem præscriptum sit. Quod enim præscribitur, privativè acquiritur. Berlich. p. I. concl. 2. etiam quoad superiorem. c. auditis, ibi: adjudicantes pleno jure subjicitas. X. de præscript. add. Carpz. p. I. c. 27. def. II. cum immemorialis præscriptio vim tituli & specialis concessionis habeat, eaque res, alias non præscriptibiles, in specie Regalia, præscribantur. Carpz. p. 2. c. 3. def. 25. Gail. 2. obs. 52. n. 23. Richter. p. 1. dec. 21. n. 52. Gebhard. de præscript. c. 5. n. 11. Lyncker. dec. 1123. immò præscriptio hæc investituræ æquiparatur, 2. Feud. 33. pr. Vultej. de feud. c. 9. n. 15. adeoque præsumtam investituram, quod jus venandi solitarium, arguit. Rosenthal. de feud. c. 5. concl. 16. n. 3. In specie in Ducatu Wolfsbergano, si nobiles jus venandi per præscriptionem acquisivere, Serenissimus haec tenus (uti à rei venatoriæ peritis accepi) nunquam convenatum prætendit, quin potius in Recesso Provinciali de anno 1597. §. 38. expresse cautum: Das diejenigen/so von Alters/bey lebendiger Menschen Gedenken/ die Jagten rechtmäßiger weise/ herhey gebracht/ auch hinfür an denen Enden und Dertern/ da/wie/ und auf was Art und Weise ein jeder solches herhey gebracht/ hinfür gelassen werden sollen. add. Edictum Henrici Junioris, de 4. Augusti, anni 1559. in fine.

§. XI.

Neque valde obstant, quæ pro affirmativâ sententia

tentia in medium proferri solent, ac retro §. 7. recensita sunt: Licet enim, quoad (1.) jus venandi Principibus territorii per totum territorium regulariter competit, tamen hoc tamdiu verum est, quamdiu jus ab aliò quæsumum non obstat. Sicut igitur non simpli citer verum est, quod jus venandi nemini competit, nisi cui nominatum id concessum fuerit, cum & per præscriptionem, præprimis immemorialem, acquiri posse, supra probaverimus; ita non solum concessionis, per investituram factæ, tanta virtus est, ut dominus in utili dominio cum vasallo concurrere nequeat, ceu supra §. 10. deduximus, sed & præscriptionis immemorialis tanta efficacia est, ut in concedendis juribus idem possit, quod Imperator & Papa, ut loquitur *Math. de Affiliis dec. 322.* immo vim constituti, contractus, ut & pacti, nec non privilegii ex certa scientia concessi, habeat, in tantum, ut qui hanc præscriptionem movere intendit, ipsum quasi jus naturæ mutare videatur. vid. *Harprecht Consil. 14. n. 189. add. Magnif. Dn. Præses in præelection. suis ad tit. Instit. Justin. de Uſucap. & long. temp. præscript. in fin. Gail. 2. Obs. 52. n. 23. Mascard. de probat. concil. 1213.* adeoque omne, quod privilegio acquiri potest, etiam hac præscriptione acquiratur. *Mod. Pistor. vol. I. conf. 4. n. 30.* & quidem privative, ut §. præced. dictum.

## §. XII.

Quoad (2) si Princeps per simplicem concessiōnem, quæ nec in contractum, nec in investituræ feudalis negotium, incidit, ac proinde donationem, vel similem causam lucrativam continet, jus venandi alicui concesserit, cumulative potius, quam privative jus

C

istud

istud translatum esse, à multis quidem asseritur, ast, sine solida ratione. Tota quæstio est de voluntate Principis, quid scilicet & quantum Princeps in alium transferre voluerit. Sicuti igitur heic tenor concessionis fedulo & accurate inspiciendus est, utpote ex quo optime judicari potest, num privativa, num cumulativa concessio facta sit. *Küchen de Vest. padt. p. 3. c. 2. n. 155.* ita in dubio & juxta sanam rationem, potius interpretatio contra concedentem, utpote qui clarius loqui debuisset, ac potuisse, quam eum, cui concessio facta, facienda est, argumento l. 39. ff. de padt. l. 21. ff. de contrah. emt. l. 172. pr. ff. de R. J. præprimis cum is, qui sibi aliquid reservare vult, id clare exprimere teneatur, secus faciens, de juribus concessis nihil sibi reservare voluisse censendus sit. Cumque haec & in concessione, quæ per modum contractus & investituram feudalem fit, locum habeant, iisque jura *supra* §. 9. allegata, suffragentur, uno velut habitu difflari possunt, quæ a contra sentientibus obmontentur. Ficulneum enim argumentum est, quod a servitutibus petitur ac juri convenandi aptatur. Venatio, præcipue quæ in proprio fundo exercetur, servitus non est, utpote, quæ in alieno fundo competit: l. 15. §. 1. ff. de servit. L. 5. pr. ff. si usus fr. pet. neque convenatio propriæ servitus est, ceu, §. 4. & 5. supra monuimus. Porro, quamlibet concessionem cumulativam potius, quam privativam censendam esse, eadem, imo meliori ratione negatur, quam asseritur. In specie venationem strictissimam recipere interpretationem, redolet principium, quo venatio servitutibus annumeratur, hoc corruente & conclusio ruit. Ejusdem roboris est ratio,

ab in-

\* (19) \*

ab indole privatorum hominum , juris sui usum in suo largientium, petita : quodsi enim privatus juris alicujus, in feudum sibi concessi , usum alteri privato iterum con- cesserit, sibique simultaneum usum haud reservaverit, æque ac Princeps , secundum regulas sanæ rationis & duætum juris feudalís , supra allegati, seipsum exclusisse præsumetur. add.Berger. p. 2.supplēm. ad Electa discept. Fo- renſ. in fine. Böbmeri assertum , Principem contra leges publicas quid concedentem , id salvo jure suo concessisse videri, contradictionem implicare videtur. Ut enim pri- mo non appetat, quid per leges publicas heic intelligat, ita sane qui aliquid simpliciter & absque reservatione conce- dit, juribus suis se abdicat, adeoque de jure concessio nihil salvum retinet. Quodsi per verba , salvo jure , supre- mā directionem intelligat, tunc calculum nostrum ei adjicimus. Omnem enim concessionem jurium a Principe, salvo dominio directo & superioritate ter- ritoriali factam præsumi , & nos statuimus. Ne- que nos morantur , qui cum Menkenio statuunt, regulam , quod beneficia Principum plenissime in- terpretanda sint, in regalibus cessare : præterquam enim quod absurdum sit , ejusmodi brocardica genera- lia adaptare ad ea , quæ in Principe Regaliis adscribun- tur, ut loquitur Finckelthus. obs. 41. n. 16. & 17. ita Bro- cardici istius abusum & insufficientiam dudum demon- stravit Thomasius peculiari differt. de Interpretatione Be- neficiorum Principis.

§. XIII.

Quoad (3.) uti non autoritatibus , sed rationibus  
pugnandum est, ita quoad (4.) haud quidem negamus,

C 2

Jus

Jus convenandi in quibusdam territoriis Principibus competere; exinde tamen universalem consuetudinem, omnia Germaniae territoria afficiem, enasci, neutiquam concedimus. Et quamvis, quoad (5.) Principes ab Imperatore cum jure foresti, omnimoda- que venatione in territoriis suis, investiri soleant, tamen concessio haec generalis non potest extendi ad ea, quae ab aliis jam possidentur, sed tacite continet clausulam restrictivam, *salvo jure tertii.* Schrader. de feud. P.5.c.2.n.47.

§. XIV.

Quoad (6.) Jus venandi, mediante præscriptione acquiri posse, ac Principem hoc casu à convenatu planè excludi, ex iis, quæ §. 10. retrò demonstravimus, con- stat. Ratio enim illa, quæ vulgo afferri solet, quod præscriptio sit odiosa, adeoque restringenda, ita com- parata esse videtur, ut, si nonnullorum Neotericorum opinionem sequi liceat, dicendum sit, eam vix firmo stare talō. Et quamvis *Dom. Thomasio* præscriptio quoad Regalia contra Imperantem currere haud videatur, eò quod leges humanæ, quæ præscriptionem for- mant, propriā vi Imperantem non obligent; tamen sententia contraria, non solum communis est sed & summâ æquitate nititur: cùm enim Imperans eum in finem præscriptionem introduxerit, ut per eam, velut aliquod paclum, jura mutentur, ipse etiam contra subditos præscriptione uti soleat, meritò ejus vim contra se quoque admittere tenetur. vid. *Dn. Ti- tius Jur. priv. Rom. Germ. L.2.c.9. §.41.* Neque quoad (7.) ad rem facit, si dicas, quod jus convenandi sit me-

ræ

ræ facultatis, adeoque non usu haud amittatur, nisi prohibitio adversarii acceſſerit, ac prohibitus, per tempus jure definitum, acquieverit: cum utique jus venandi ab actibus meræ facultatis differat. Differunt actus meræ facultatis ab iis actibus, quibus jus quoddam, prout est jus venandi, Domino territoriali singulariter competens, est exercendum: eo ipso enim, quô illud omittitur, & aliis exercendum relinquitur, non potest non præscriptio sibi locum vendicare, *Gail. 2. obs. 60. Schurff. vol. I. conf. 14. per totum.* Posito autem jus illud inter actus meræ facultatis referri posse, an non tamen præscriptioni obnoxium foret? Sane etiam tunc res meræ facultatis præscriptione acquiruntur, si ex conjecturis, vel aliunde constet, quod quis iisdem rebus, alicuius juris acquirendi causa, usus sit. vid. *Cravetta de Antiquit. temp. p. 4. n. 42. Harpr. vol. 6. conf. Tubing. cors. 90. n. 102. & seqq.* Utut igitur concedamus, jus venandi, Principi vi juris territorialis competens, in locis publicis, ubi nemini haſtenus venatio competit, meræ facultatis esse; tamen in iis locis, ubi alias per tempus immemoriale venationem exercuit, non amplius erit res meræ facultatis, sed potius libertas per alterius contrarium exercitium, cui Princeps, cum potuifset, per tempus immemoriale non contradixit, extincta est. *Struv. Exercit. 43. th. 22. præcipue, si alter venationem solus, & privativè exercuerit.* Cumque ex immemoriali ejusmodi exercitiō consensus Principis & Domini territorii præsumatur. *Menoch. 3. præf. 132. n. 71.* Scientiam & patientiam Domini probare non erit opus. *Mynsing. Cent. 5. obs. 30.*

\* ( 22 ) \*

§. XV.

Quamvis autem ex hisce pateat , Dominis territoriorum regulariter non competere venationes instituere in locis, ubi status provinciales , aliquae subditijus venandi legitimè acquisiverunt ; tamen sicut eo ipso consuetudinem contrariam, si qua obtinet , minimè impugnare volumus ; ita nemo ex subditis Principi, si vel animi, vel hospitalitatis gratia , venationem desideraret, patientiam denegabit , ceu in terminis loquitur Rhetius Comm. Jur. Feud. L. I. tit. 2. §. I. n. 12. in f. cum de Principe præsumtio sit , ejusmodi exercitium in consequentiam damnosam haud tractum iri, & talem humanitatem vix vicino denegare soleamus. Schöffer. de Venat. super c. 3. n. 16.

§. XVI.

Sed satis de his. Pergimus ad jus convenandi privatum, sive, quod à privatis acquiritur & exercetur. Capaces autem illius sunt omnes illi , qui aliorum iurium non sunt incapaces, sive sint personæ physicæ, sive compositæ & morales. Ut autem in specie à venatione, scilicet clamorosa , & quæ cum canibus exerceatur, Ludo v. Engel Colleg. Jur. Can. ad tit. de Cleric. venat. excluduntur Clerici & a quavis venatione agricolæ, ita & iidem à convenandi jure, utpote quod species venationis est, excludendi videntur. Et de Clericis quidem clari extant textus in c. 1. 2. & 3. dist. 34. c. 1. & 2. X. de Clerico Venatore c. 1. X. ne cleric. & monachi secul. negot. se immisc. add. Corvini Jus Canon. lib. 4. tit. 32. ubi & pœnas contra facientium recenset. Verum rigor ille non diu duravit, sed postmodum temperatus fuis ; indultum enim, ut

ut monasteria jus venandi acquirere, & per suos exercere possint, modo canes venatici intra clausuras monasticas non alerentur, nec monachi venatui ipsi intersint, *Clement. ne in agro §. porrò. de Statu Monachorum.* Accessit præterea benigna Canonistarum interpretatio, non prohiberi scilicet in textu Decretorum Clericis, quominus venatui ipsi intersint, modò id sæpius non fiat, sed recreationis & sanitatis causa. *Panormitan. ad c. i. X. de Cleric. Venat. add. Schurff. Cent. 3. Consil. I. n. 6.* sciendum autem quod prohibitions recensitæ ad Principes & alios proceres Ecclesiasticos, immediate imperio subjectos, minime pertineant. Hi enim in hoc, & aliis juribus non considerantur, ut personæ ecclesiasticæ, sed tanquam Status Imperii, bona & ditiones, cum iuribus annexis, ab Imperatore & imperio in feudum recognoscentes. *Gail. I. obs. 30. n. 6. add. de Venationibus personarum Ecclesiastiarum Ruland. de Commissar. p. 4. Lib. 2. c. 8. a n. 5. usque ad 16.*

## §. XVII.

Agricolas autem quod concernit, quare illis venatio non concedatur, ratio est non una. Præcipua in eo consistit, ne à culturâ agrorum avocentur & otio adfuerant. Hosce, nec olim apud Germanos juris venandi capaces fuisse, uti nec cives urbicos, asserit *Thomas. ad Huberum, de Jure Civ. L. 2. sect 4. c. 2. §. 19. lit. R.* & quamvis captura ursorum, aprorum ac luporum ipsis libera manserit vid. 2. *Feud. 27. §. 5.* tamen posterior consuetudo circa ursos & apros aliud introduxit, eosque venationi majori accensuit, *Abafv. Fritschii Corp. juris venat-forestal. part. I. p. 48. num. 70.* sicuti nec luporum investi-

\* (24) \*

investigatio ubivis locorum ipsis amplius permittitur.  
*Mehlbaum de Jure venandi. th. 21.*

§. XVIII.

Hactenus *Cui*, nunc *quatenus* jus convenandi competit, videamus. Competit autem diversimode: vel enim (1) *mutuum est ac reciprocum*, e. g. ut Titius in Caji, & hic iterum in Titii agris ac sylvis id exerceat, qui modus in locis, ubi agri sunt intermixti, wo vermehrte Helden und Güter/observari solet, quo tamen casu frequenter minoris solum generis feras concernit; vel non *reciprocum est*, quando ego quidem in vicini agris conventionem habeo, ille vero eandem in meo fundo vicissim exercere non potest, de quo ex consuetudine & patris amplius judicandum est *vid. Fritsch. de Jure conven. membr. 2. th. 4.*

§. XIX.

Potest etiam unus jurisdictionem fundi cum jure venandi habere, & alteri, absque tamen jurisdictione fundi, jus venandi competere; qui *secundus* modus est. (3) pluribus simul potest competere, & tamen tam conjunctim, quam separatim exerceri, sicut und sonders zu jagen: quo tamen casu hanc fere limitationem observari, docet *Webner. obf. pract. voc. Forst-Recht/* daß / wann zween oder mehr eine Ruppel Jagd mit ein ander gemein haben / und jedweder sämt und sonders/ ungehindert des andern/ Jagen mag/ daß doch allwege zu Herbst zeiten / und nachdem die Beer in den Weinbergen abgelesen / das erste Jagen von beden oder allen theilen sämtlich / auf zuvor beschegene nachbarliche Tages-Vergleichung/ geschehe/ was auch der Enden gefan-

\* (25) \*

gefangen / in zween oder mehr Theile ausgetheilet / de-  
ren jeder einen haben und nehmen möge. Exempla  
ejusmodi venationum simultanearum , pluribus per in-  
vestituram concessarum , in Episcopatu Würzburgensi  
extare , *Wehnerus* cit. loc. testatur . Netamen discordiae ,  
quas communio parere solet , orientur , conveniri solet ,  
ut quilibet in certo loco venationem exerceat , daß jed-  
weder seinen gewissen Bezirk besuche / und daselbst ja-  
ge / dahin man sich / de persona ad personam vergleicht /  
unbegeben der Gesamten Jagt - Gerechtigkeit . Hæc  
*Wehnerus* cit. loco .

§. XX.

Porro & hoc notandum , quod pluribus jus con-  
venandi in Germania competitat diversis respectibus ,  
uni quidem jus venandi feras majores , alteri minores .  
Consuetudo igitur , & mores cujusque loci , observari  
debent : Inde enim lites venatoriæ quam optime dijudi-  
cari possunt . *Carpzov. p. 3. c. 32. def. 17.* Cumque Con-  
ventiones sæpiissime in agris ac prædiis , circa confinia  
sitis exerceri soleant , vicini autem , præcipue potentio-  
res , vel ipsi , vel per officiales suos fimbrias limitum  
suorum indies latius extendere allaborent , & longo usu  
jus venandi sibi arrogare , hinc termini finales probe re-  
spiciendi & rei venatoriæ præfectos pro interesse domi-  
norum suorum sollicite vigilare decet , juxta monitum  
*illustris Seckendorff* , im Fürstenstaat / p. 3. regali . s. n. 8.

D

Cap. II.

## CAP. II.

*Ex quibus causis Convenatio  
competere soleat, & quomodo  
acquiratur.*

### §. I.

**M**odi conventionem acquirendi sunt varii. Principes ac Dominos territorialium jus illud vi juris territorialis, & inde dependentis Juris Foresti, in Vasallorum fundis praetendere solere, *supra* traditum est. Ceterum competere potest (1.) *vi concessionis generalis* & tacite, si v. gr. alicui concedatur castrum vel territorium cum omnibus omnino juribus & pertinentiis, illique castro vel territorio annexum sit jus convenandi (2.) *vi concessionis expressae ac specialis*, quae itidem sit vel per modum simplicis concessionis, vel investituræ feudalis; Exempla in Episcopatu Würzburgensi inventari, tradit *Wehner. obs. pr. sub v. Forst-Recht.* De speciebus autem investituræ aliquid addere, utrum scilicet constituatur per abusivam, aut acquiratur per veram investitaram, supervacaneum est: convenatio enim in jure consistit, & proprie tradi nequit. *L. 43. §. I. ff. de acquir. rer. dom.* Utiautem tenor investituræ praecise observandus est, ita simpliciter concessa jure convenandi non videtur permissa venatio ferarum majorum, neque

neque concessa conventione ferarum majorum , tacite concessa videtur capture minorum ferarum , diversæ enim species sunt venatio majorum & minorum ferarum , adeoque ab una ad alteram argumentum duci nequit . *Besold. in Thes. pr. voc. Jagten.* potest etiam concessio juris convenandi esse vel *gratuita* , vel *non gratuita* , quæ sc. fit per modum contractus onerosi . Illa fieri potest vel per actum inter vivos v. g. donationem , vel ultimæ voluntatis , ut , testamentum , legatum . Hæc transfertur per stipulationem , emtionem venditionem , locationem conductionem , &c. *Gail. 2. obs. 6. n. 6.* Est etiam concessio hæc quandoque *perpetua* & in heredes transitoria , vel solum *temporaria* , & *precaria* , quo pertinent die Guaden = Jagten / de quibus *Fritschius*.

§. II.

(3.) Acquiritur *præscriptione* , utpote quæ est in star concessionis præsumtæ ac tacitæ . *I. 28. ff. de V.S. ibique Commentat.* modò quasi possessio non sit violenta , nec *precaria* , *clandestina* , aut *interpellatione judiciali* , vel *extrajudiciali* interrupta . Quamvis enim hæc posterior interruptio , juxta nonnullorum mentem , effetu suo destituatur , tamen constituit aliquem in malâ fide , adeoque *præscriptionem* impedit . An verò *præcisè tempus immemoriale* hic requiratur , ut vult *Gail. 2. obs. 66. n. 7.* aliisque , disquiri meretur . Sanè *Gailius* & *asseclæ illius* , annumerant jus venandi servitutibus realibus & discontinuis , his autem non nisi tempore immemoriali *præscribi* , adeoque , cum *convenatio species venationis* sit , idem *præscriptionis tempus* heic observandum esse , videtur . Alii personas , contra quas

D 2

*præ-*

præscribitur , ut & utrum præscribens titulo munitus sit, an secus, distinguunt : per consequens præscriptio ni, contra Principem valituræ , temporis immemoria lis ; contra privatos verò, inter præsentes quidem decem annorum, & viginti inter absentes , cum titulo ; sine titulo verò inter præsentes 30 , inter absentes vero 40. annorum spatiū præstiuunt. *Knipschild. de Jur. & privil. Civ. Imper. l.1. c.7. n.18.*

§. III.

Sanè , neque venatio , neque convenatio propriè servitutes sunt, ut retro monuimus. Neque distinctio servitutum in continuas & discontinuas mihi approbanda videtur, cum omnes servitutes, si ex causa sua naturali æstimentur, continuæ sint, & sufficiat , quod res, quæ servituti causam præbet , ita à natura comparata sit, ut quis possit perpetuò servitute uti. *vid. L. 28. ff. de S. P. II. Habs. ad Wesemb. tit. de servitut. n. 5. §. 9. Hopp. ad tit. Instit. de servitut.* Quamvis igitur agnoscamus, sententiam eorum, qui servitutibus discontinuis, sive rusticis non nisi tempore immemoriali præscribi volunt, in praxi ubique fere dominari, tamen cum jus convenandi ex nostra sententia propriè servitus non sit, ideo huic sententiæ simpliciter subscribere non possumus. Interim tamen, sed ex aliâ ratione , præscriptioni immemoriali locum relinquimus, si sc. jus hocce contra Principem præscribi debeat : quotiescunque enim regalia, quæ à privatis possideri possunt , contra Principem præscribenda sunt , toties præscriptio immemorialis requiritur, *Carpz. p.2. c.3. def. 25.* Quotiescunque autem contra privatum præscribuntur , toties suffi-

\* ( 29 ) \*

sufficere credimus ordinarium præscriptionis tempus,  
c. 26. §. præterea X. de V.S. R. add. L. 12. in f.C. de præscr.  
long. temp. quia sic non amplius sunt Regalia , sed jura  
privatis quæsita. Hopp. ad §. 4. Inst. de usucap. Cæterum  
tempus immemorale , quandoque centenario spatio  
majus , quandoque minus est. Carpz. p. I. c. 16. defin. nam  
quod hominum, qui ad senectutem pervenerunt, me-  
moriā excedit, ita , ut se hoc nunquam vidisse, vel  
a majoribus audivisse afferant, illud immemorale tem-  
pus recte dicitur, argumento leg. 28. ff. de probat. Mynsing.  
l. I. O. 30. Okel cap. I. §. II. Et paſſim, de præscript. immemor.  
& probatur per testes , ad minimum 54. annorum , qui  
deponere possint de eo , quod ante 40. annos gestum  
est, & ipsi a majoribus suis audire, quique nunquam  
viderint aut audiverint contrarium. Notandum ta-  
men contrarium posse probari, memoriam sc. extare.  
Si itaque utriusque partis testes deposuerint , affir-  
mantes memoriam extare præferuntur super negativa  
deponentibus, quia regulariter plus creditur duobus te-  
stibus affirmantibus, quam 10. aut 100. negantibus.  
*Maul. de Jure conduc.* tit. 2. n. 59. vid. tamen *Farinacius*  
*de Test. qu. 65 n. 201.*      §. IV.

( 4 ) Competere potest *vi consuetudinis*, hæcque  
prima conventionum origo, vel occasio fuisse videtur  
*Fritschio, de Convenat. m. 3. th. 2.* ( 5 ) *vi transactionis*,  
uti enim communio contentionum ac discordiarum ma-  
ter esse solet, ita promiscua venatio multis quandoque  
litibus , ne dicam cædibus , occasionem præbet. Ut  
recte dixerit *Ruland. de Commissar. p. 4. l. 2. c. 8. n. 2.* se ne-  
scire, an ex ulla alia materia fertilior seges, quam ex hac,

D 3

in Ca-

\* (30) \*

in Camera Imper. proveniat. Immo talem eam esse ad-  
vocatis Cameralibus, qualis Italij Jurisconsultis substi-  
tutionum materia, ex qua Baldus vel consulendo tantum  
ultra 15000. ducatorum acquisivisse, alicubi testatur.  
Quo igitur lites, hinc propullulantes, amputentur, fæ-  
pius amicabili compositione res transigitur, ac conve-  
natio alteri certo modo permittitur.

§. V.

Quodsi per amicabilem compositionem r̄es dirimi  
nequeat, iudex sententia sua litem decidere debet.  
Hinc novus modus, ex quo convenatio competere solet,  
oritur, in ordine (6) scilicet sententia & res judicata:  
neque enim exemplo, aut ratione carere circa venatio-  
num controversias, scribit Zasius in l. 3. p. ex contrario  
concl. 14. de acquir. poss. ut in iis, si uterque probet pos-  
sessionem, pro utroque judicetur, cum plures successive  
eodem hoc jure in uno eodemque loco uti queant.  
(6) competere potest vi parti & divisionis hereditariae,  
Bermöge alter Verträge / brüderlicher oder väterli-  
cher Theilung / fæpe enim venatio dividi nequit, neque  
alter divisionem fieri vult, adeoque invicem paciscun-  
tur de mutua conventione concedenda vid. Fritsch. de  
Jure Conven. m. 3. §. 4.

CAP. III.

\* (31) \*

## CAP. III.

### *Quomodo convenatio legitime exerceatur.*

#### §. I.

**C**um jusvenandi quoque inter ea sit , a quibus rei-  
publ. vel bene vel male esse potest , hinc voluntati  
imperantis relinquitur , circa illud statuere , quicquid  
republicæ suæ salutare arbitrabitur . Ut enim Deus  
ipse certas leges venatoribus præscriptis , *Levit. 17. v. 13.*  
*add. Gen. 27. v. 4.* ita & vicaria Dei in terris potestas recte  
venationes certis legibus circumscribere solet , ac ad cer-  
ta tempora venationes restringere , tum ne ferarum  
species continuo & promiscuo venatu penitus extirpen-  
tur , tum ut satis atque segetibus parcatur , utpote quæ  
penitus perderentur , si quovis anni tempore venari li-  
ceret .

#### §. II.

Ex quibus patet , minime nos *hoc capite* agere de  
modis variis , quibus venatio exercetur , wie man ein  
Thier / nach eines jeglichen art spüren / suchen / bestä-  
tigen / fangen oder fassen solle ? quomodo & quando  
fieri soleat canibus , vel retibus , sclopeticis , aut vena-  
bulis ? hæc enim nostri instituti non sunt , sed rei vena-  
toriæ peritis relinquuntur . Id igitur solum attingemus ,  
quoniam tempore convenaciones institui ac exerceri de-  
beant .

#### §. III. Va-

\* (32) \*

§. III.

Variant autem ista tempora pro diversitate locorum. In Hispania venatio leporum tempore nivium interdicta est, teste *Co-varruv. in c. peccatum, de R. I. in 6. §. 8. n. 3.* In Ducatu Wolferbytano muß mit dem Jagen / von Lichtmess / oder dem Anfange des Monats Februarii, bis an Bartholomæus Tag / oder dem Monath Septembbris, allerdings eingehalten werden. v. Edictum Ducis Augusti gl. mem. sub dato Wolffensbl. den 8. Jan. ann. 1638. jung. Edictum ejusdem Serenissimi sub dato Wolff. den 14. Aug. 1645. ubi expresse prohibitum: Dass keiner / außer der rechten Zeit / nemlich zwischen Lichtmes und Bartholomæi, er sey mit Hoher- oder Unterjagt berechtiget / sich des Jagens gebrauchen solle / bey Vermeidung hoher Ungnade / und Wilföhrl. Straffe / auch Verlust der Jagt-Ge rechtigkeit. In terris Saxonis ist zu der hohen Jagt der Hirsche und Schweine / die Zeit von dem hohen Sommer / bis zu Ende des Herbts / als etwa von Trinitatis , bis Andreæ , oder Johannis Baptistæ , bis Weyhenachten: zu dem niedern Weydwerk von Bartholomæi, bis Fastnacht / oder Egydii, bis Petri bestimmet / teste Seckendorff Deutschen Fürstenstaat p. 3. e. 3. regal. 1. n. 6. Ordinatio Bavaria cervorum venationi præscribit 1. Julii usque ad 6. Septembbris. Aprorum, diem Galli, usque ad natalem Domini, Capreolarum, Festum S. Johannis, usque ad festum Paechatos, Fritsch. de Jur. Conv. m. 4. §. 2. Aliis aliud tempus speciali concessione indulatum , Seckendorff cit. loc. Quorum constitutionum ratio, ceu retro monuimus , partim consi-

\* (33) \*

consistit in conservatione ferarum, partim ne sata, magno subditorum dolore ac detimento, perdantur, unde & tempora venationum, si forte fructus agrorum, ob tempestatis injuriam, ante diem Bartholomæi colligi nequeant, per mandata penaia quandoque immutari scribit Fritschius cit. tr. m. 4. §. 3.

§. IV.

An verò territorii Dominus ipse legibus hisce obligetur, quæri posset. Evidem vis coactiva in Principem nulla est, cum nemo se ipsum coacturus præsumatur; Interim tamen Princeps bonus, utut legibus, à se latiss, solitus sit, tamen legibus vivere solet, per §. fin. Instit. quib. mod. testam. infirm. l. 31. ff. de LL. Unde & Dn. Seckendorff. cit. tr. loc. n. 6. scribit, daß der Landesherr solche Zeit selbst / außer sonderbahren vorsägenden Ursachen/ zu halten pflege. Speciale igitur quid sunt die Vor-Jagten / in quibusdam locis Dominis territorialium competentes, vi cuius Domini die Gränz-Jagten etwa 8 Tage vor Bartholomæi exercere solent, teste Fritschio cit. tr. m. 4. §. 5.

§. V.

An autem conveniones etiam invitò & insciò altero exerceri possint, disquiri meretur, affirmare videtur Dn. Titius Jur. Priv. Rom. Germ. L. 8. c. 14. §. 10. Negat Speidelius in Specul. Notab. voc. Jagt. quia alter jure & commodo suo, alterius factō, privari non debet. Sanè tutius & æquius utique est, si convenatio mutuō consensu exerceatur, interim tamen fatendum est, quod consuetudo regionum, in materia venationum utramque paginam faciens, & heic variet. de Thuringia

E

testa-

\* (34) \*

testatur *Fritschius de Conven. m. 4. §. 6.* Daz / wann Bartholomæi Tag vorbey / man seinen Nachbar / oder der mit zu jagen hat / nicht fragen dürffe / ob er jagen wolle oder nicht ? sondern / wer eher käme / der habe das Vortheil zu jagen / und wenn gleich sein Gränz-Nachbar käme / und er hätte nur ein Garn angebunden / so müsse der lezte doch weichen.

§. VI.

Cæterum , si conjunctim exerceatur convenatio , convenantes possunt unam eandemque feram simul persequi . Quid si autem unus ex illis feram ejusmodi ita vulneret , ut auftugere non possit , alter verò illam feram capiat , cuius erit fera ? Alii eam vulneranti , alii capienti adscribunt , alii medium sententiam amplectuntur , & dividendam eam esse inter capientem & vulnerantem , pro rata impensæ operæ , circa captam feram adhibitæ , statuunt . Ast , cum hic casus §. 12. *Inst. de rer. di-vis.* pro capiente sit decisus , in puncto juris verior est sententia , quæ feram ejusmodi capienti attribuit , cùm capiens feram & animo , & corporali apprehensione , atque sic duplici jure , habeat . Quamvis , abstrahendo à jure positivo , naturaliter vulneranti adjudicanda videatur , per ea , quæ in *discursu præliminari* §. 5. monuimus .

§. VII.

Quantum ad divisionem prædæ attinet , si plures seorsim venentur , tantum quisque acquirit , quantum cepit ; si *conjunctim* , prædam æqualiter dividendam vult *Gryphiander Oecon. legal. l. 2. c. 18. n. 20.* *Wehneri* sententiam *suprà c 1. §. 19.* allegavimus . Varia compositionis

\* (35) \*

sitionis remedia, ut sc. usus venationis dividatur, vel  
juxta certa loca, vel certa tempora, vel quoad certas fe-  
ras, tradidit *Fritschius* cit. tr. m. 4. §. 8.

## CAP. IV.

### *Quomodo jus convenandi conseruetur?*

#### §. I.

**C**onservando juri convenandi inserviunt remedia  
juris, eaque pro diversitate judiciorum vel pe-  
titoria, vel possessoria. Ac primum quidem de reme-  
diis possessoriis, quæ dupliciter tractari possunt, vel sum-  
mariissimè, vel ordinariè.

#### §. II.

Vi summarissimi is, qui tempore motæ litis in  
possessione vel quasi est, tamdiu in eâ defenditur, do-  
nec adversarius in ordinario vel petitorio aliud pro-  
baverit. Ex quô patet, requiri heic solum naturalem  
rei insistentiam: neque enim in hoc iudicio de justitiâ pos-  
sessionis quæritur, utpote quod ad possessorium ordinari-  
um pertinet, sed de solâ rei insistentia ac detentione,  
ideoque & hic processus celerrimus est, neque oblatio-  
nem solennis libelli, litis contestationem, communicatio-  
nem attestationum testium &c. desiderat, *Clement. 2. sepe*  
*contingit de verbis signific. sed iudex* (solent autem causæ  
huc spectantes plerumque agitari ac decidi in iudiciis

ordinariis, nisi certa eum in finem iudicia alicubi instituta sint, uti Norimbergæ) quam primum de partium concertatione inaudit, vel ex officio procedere, vel qualemcumque partis implorationem decernere solet, eum in finem, ut quisque articulos probatoriales cum denominatione testium (sufficit autem vel unicus testis juratus, de proprio visu deponens, & omni exceptione major, vel plures injurati, ex sententia Carpzovii *Reff. lib. I. Reff. II.* cui tamen contradicit *Finkelthus. Obs. 32.* cuius sententia ab Electore Saxon. est approbata, nisi forte metus subsit armorum) producat, quo facta, & visis testium attestationibus, vel compositionem decernit, si jura utrinque sunt æqualia, & ex uno eodemque fonte promanent, vid. *Mev. p. 2. decis. 237. 238.* vel solitariam possessionem uni adjudicat, reservato alteri vel possessorio ordinario, vel petitorio. Cumque in hoc summarissimo iudicio de nudâ possessione quaestio sit, ea, quæ sunt altioris indaginis, haud admittuntur: multominus de civili possessione, si eam naturalis haud præcesserit, disceptatur, possessio enim ratione initii est facti, adeoque probanda: neque reg. testium personæ & dicta hic reprobari possunt, nisi damnum inferatur irreparabile. *Carpz. L. I. Reff. tit. 2. resp. II. n. 12. Schrader. lib. I. cons. 4. n. 15. 4.*

## §. III.

Sententia autem in summarissimo hoc lata, interlocutoria solum est, non definitiva: quia solum decidit, quis possidere debeat, donec in ordinario, vel petitorio causa plenè discutiatur. Interim is, qui in summarissimō obtinuit, fructus possessionis lucratur, ac in

in ordinario vel petitorio Rei solum partes sustinet, adeoque à probatione immunis est. Hinc etiam ii, qui sapiunt, in summiſſimo ſeſe ante omnia fundare lo- lent, prout etiam hoc judicium tam ordinariō, quām petitorio ſemper präferendum eſt, tum ut conſteret, quisnam in caſu dubiæ poſſeſſionis actoris vel Rei par- tes ſuſtinere debeat, tum ne commodo poſſeſſionis contraequitatem privetur, qui poſſidet. Qua etiam de cauſa ordinariū poſſeſſorium ante petitorum de- cidi debet, vid. L.13. C. de R.V.l.3. C. de Interd. add. de ſummiſſimo poſſeſſorio Ludo-v. Poſtius, item Pfanckuch, nec non Cladiuſ, in Rebus Quotidianis.

§. IV.

Coincidit cum recenſito haſtenus remedio Con- ſtitutio Cameræ ſuper litigioſa poſſeſſione, modò duo in- ſuper requiſita adſint, (1.) ut partes immediate imperio ſubſint, (2.) metuſ armorum adſit, idque vel ſummarie v.gr. per epiftolas privatas, probetur. Quod ſi enim ſtatus imperii de poſſeſſione certent, & metuſ armorum ſubſit, tunc, ſeſpoſitō judicio Austregarum, ſtatiſ lis vel ad Cameram, vel judicium Aulicum devolvitur. Ordin. Cam. p.2 tit.21. Reichs-Hoſſ Rahts-Ordn. de anno 1654. tit.2. Hæc enim judicia, exiſtente Impe- ratore, in plerisque cauſis concurrentem jurisdictionem habent. Gail. I. obſ.29. 41. 42. § 121. Mortuō ve- rò Imperatore, & alio nondum electo, de hiſ cauſis ſo- la judicat Camera. Diederich ad A.B. tit.5. p 41. Qui autem iſta duo requiſita probare nequeunt, nullam Conſtitutionis ſuper litigioſa poſſeſſione mentionem fa- cere, ſed ſe in jure communi fundare, ac manutenen-

\* (38) \*

tiam petere solent. Immo libellos supplices exorbitantibus excessibus infarcire & eō modo concipere solent, ut mandatum S. C. desuper decernatur: veletiam causam dare solent alteri parti ad pignorandum. His enim casibus Camera judex est, Roding. Pand. Cam. lib. I. tit. 10. p. m. 144. Gail. I. obs. s. 6. § 7. § de pignorat. obs. 21. n. I.

§. V.

Quid si duobus, de venationis jure contendentibus, alter alteriferas captas afferat, utrum illa venationis præda pro re ipsa, h. e. pro fructu, vel parte rei litigiosæ, an vero pro re tertia, seu innocentia h. e. tali, quæ extra rem litigiosam, seu jus litigiosum est, quæque nihil commune habet cum jure controverso, utpote in quo neque jus controversum, neque ejus fructus consistit, habenda? Decisio latitat in eo, an venatio pertineat ad fructus fundi, & juris venandi? qui hoc statuunt, prædam venationis pro re ipsa habent, cum feris interceptis, ipsum jus reddatur inutile; qui vero feras ante capturam pro fructu seu parte rei litigiosæ non habent, prædam pro retertia habent, & mandatis sine clausula locum faciunt, vid. Rec. Deput. de anno 1600. §. 36. Blum. proc. Cam. tit. 32. n. 25. Westenholz de jurisd. forest. §. 120.

§. VI.

Hactenus de summiſſimo, utpote quod ordine præcedit. Nunc de possessorio ordinario. Datur autem pro retinenda conventionis possessione interdictum uti possidetis, ad id, ut solvatur, quanti inter est auctoris, turbationem factam non esse L. 3. §. ult. ff. uti possid. insuper que cautio de non amplius turbando præstetur Gail. 2. obs.

*obs. 66. n. 13. & 1. obs. 116.* probari autem debet (1) possessio a parte actoris, (2) turbatio a parte rei, & quidem olim præcise requirebatur, ut actor possederit tempore litis contestatæ. §. 4. *Inst. de Interd.* in praxi tamen id præcise non attenditur, sed sufficit agentem ante litem contestatam possedisse, & adhuc se possidere intendere c. 9. *X. de probat. Couarruv.* 1. *obs. 17. n. 6.* probatur autem possessio variis modis: vel per testes, qui de actibus venatoriis testentur, vel per prohibitionem de non venando & secutam paritionem, vel per venatorum & saltuariorum appositionem, vel per pignorationem, multam, incarcerationem &c. vid. *Gail. 2. obs. 66.*

§. VII.

Probatio, quæ per actus venatorios fit, præcipua est: ex actibus enim hisce usitatis juris convenandi & inde orta possessio optime demonstrari potest. Ut tamen plures semper actus exerciti fuerint, non adeo opus est: ut ut enim plures actus magis firment possessionem, tamen ad acquirendam possessionem vel quasi, vel unicus actus quietus, & ad apprehendendam possessionem specialiter directus, sufficit. *Klock. tom. I. conf. so. n. 278.* Interim tamen hoc probè notandum, quod, si unus aut alter actus venatorius in specie probandus sit, testis ipse venatui interfuisse, & insuper contestem habere debeat, alias enim testimonium non valet; fecus ac in casu, si multi aut plures actus venatorii sint exerciti, ac in genere solum convenatio probanda sit, tunc enim testes, etiam singulares, admittuntur *Gail. 2. obs. 66. n. 11.* actus autem hi debent esse certi, quieti, non violenti,

\* (40) \*

lenti , clandestini , aut precarii §. 4. ♂ 6. Inst. de interdict.  
add. Menoch. adipisc. poss. Remed. 41. n. 603.

§. VIII.

Prohibitio itidem possessionem prohibentis arguit. Menoch. Arbitr. Jud. quæst. cas 160. n. 10. ♂ II. modo adversarius in ista prohibitione acqueverit , alias enim nihil operabitur prohibitio , cum certa & constans debat esse possessio , non dubia , aut litigiosa L. 10. C. de acquir. ♂ retin. poss.

§. IX.

Porro possessionem evincit constitutio & appositiō venatorum & saltuariorum ; ad conservandam enim possessionem custodes apponere solemus l. 51. ff. de acquir. vel am. poss. qui si pignorent in alieno venantes , satis apparet , se ideo ordinatos , ut observent , ne quis in hoc , vel illo loco venetur , ac possessionem constituentis turbet. Mehlbaum de Jure venandi th. 32. Tandem & multæ impositione , incarceratione & coercitione eorum , qui in locis alienis venantur , possessio vel quasi hic probatur : tales enim actus animum possidendi declarant in irrogante , delictum autem in eo , cui pena irrogatur. Mehlbaum cit. loc. add. Menoch. remed. retin. 3. n. 585.

§. X.

Potest autem turbatus , ne possessione excidat , nonsolum conqueri judicialiter de turbatione facta , sed & præterea , non obstante turbatione , possessionem suam vel quasi per actus venatorios continuare , quandoque etiam protestationibus uti. Ac primus quidem modulus tutissimus est , siquidem tunc alteri injungitur , ut à turbatione desistat , ac de non amplius turbando caveat.

Secun-

*Secundus* modus itidem usu non destituitur : dissensus enim, qui facto exprimitur, fortior est eo, qui nudis verbis fit. arg. l.27. §.1. ff. de *inoffic. testam.* *Tertio* modo tunc uti solemus, si vel ob temporis injuriam, aut turbantis potentiam, prioribus experiri haud licet. *Mehlbaum* cit. *dissert.* §.35. in iis enim, quae à protestantis potestate dependent, protestatio rectè interponitur. *Berlich.* p.1. *concl.* 49. n.69. Et hujus protestationis vicem interdum quoque supplent literæ turbantis privatæ, si illæ obtineri possunt. *Mehlbaum* cit. loc.

§. XI.

Quandoque utriusque parti possessio, quam *Com-*  
*possessionem* vocant, adjudicari solet : accedit enim  
 interdum, ut uterque litigantium ita probet, ut non  
 appareat, quisnam in possessorio obtainere debeat.  
 Quamvis enim regulariter duo in solidum rem unam  
 eandemque possidere nequeant, l.3. §.4. §.5. *E* ibi  
*Dd. de acquir. vel am. poss.* tamen hæc regula in incor-  
 poralibus fallit. Exemplo sunt servitutes l.15. ff. *Com-*  
*mun. præd. jurisdictio c. 7. X. de offic. jud. del.* imò  
 ipsum jus convenandi consuetudine Germaniae rece-  
 ptum est, ut in *disc. prælim. §. penult.* monuimus : atque  
 si uni venatio majorum, alteri minorum ferarum ad-  
 judicetur, nemo alterum in suâ possessione turbare  
 poterit ; Quod si tamen in unâ eademque specie con-  
 venatio tribuatur, quia facile rixæ oriri possunt, cau-  
 tione de non turbando opus erit.

§. XII.

Hactenus de possessorio retinendæ. Quoad pos-  
 sessorium recuperandæ datur interdicendum *Unde vi* § re-  
 F medium

\* (42) \*

medium ex cap. 18. sape contingit X. de restit. spol. nec non ex c. redintegranda 3. qu. I. quod omnium plenissimum ac tutissimum est, ac datur cuivis, injuste possessione vel quasi dejecto, adversus quemlibet possessorem, quamvis ipse nec spoliaverit, nec spolii concius fuerit, ad id, ut restitutio possessionis vel quasi fiat Gail. 2. obs. 75. n. 9. Et seqq. debet autem ab agente probari (1) a parte sui possessio (2) a parte rei dejectio seu spolium. Illud autem spolium probatur per antiquiorem possessionem, si actor probet, se ante reum possedit. Gail. 2. obs. 75. n. 12. ut Et obs. seqq.

§. XIII.

Restat judicium petitorum, ubi pro afferendo hoc jure locum habet actio utilis confessoria, qua agitur contra quemlibet impedientem, ad id, ut jus hoc ad sese pertinere declaretur, reus vero condemnetur, ut praestito interesse caveat, quod auctorem ejusque heredes in libero juris hujus exercitio impediturus non sit: adeo ab auctore hic probari debet (1) conventionem ipsi legitime constitutam esse (2) a parte rei turbatio Gail. 2. obs. 66. add. Rutger Ruland. de Commissar. p. 3. c. 10. §. 3.

CAP. V.

Quomodo jus convenandi finiatur Et amittatur?

Differunt modi, queis finitur convenatio, a modis, queis eadem amittitur. Amisso enim praesuppo-

\* (43) \*

supponit dolum vel culpam, aut negligentiam ejus,  
qui illam amittit. Ac primum quidem inspiciamus mo-  
dos, quibus finitur.

§. II.

*Finitur autem (1) morte naturali illius, cui con-  
cessa fuit, modo ad dies vitae solum concessa fuerit (2)  
tempore præterlapso, potest enim ad certum, & finitum  
tempus concedi (3) interitu loci, in quo permissa fuit,  
quod sit terræ motu, inundatione. Quod si tamen  
aqua recesserit, iterum reviviscit §. 24. Inst. de rer. diuis.  
(4) revocatione concedentis, si quis forte precario eadem  
usus fuerit. (5) successione vel universalis vel singulari, si  
quis v. g. fundi servientis vel titulo hæreditatis, vel emti,  
aut alio singulari modo, dominus fiat. (6) mutuo con-  
fensi, saepius enim vi pacti competit. Dum autem mu-  
tuum consensum requirimus, videtur unius dissensus non  
sufficere. At distinguendum est: vel enim competit  
jure societatis, familiaritatis, amicitiae & vicinitatis, &  
tunc alter altero invito, ab eadem recedere potest.  
Eiusmodi enim res præscriptibiles non sunt. Klock. vol. I.  
conf. 21. n. 96. Quod si vi præscriptionis competat, se-  
cūs se res habet: cum jus, per legitimū tempus acqui-  
situm, invito auferri nequeat, idque cum primis in  
agris intermixtis considerandum esse, scribit Fritschius  
cit. tr. m. s. §. ult.*

§. III.

*Amittitur (1) si quis contra patra & tenorem con-  
fessionis jure conveniatur, vel extra tempora præ-  
scripta illud exercendo, præcipue si in hunc casum clau-  
sula privatoria adjecta fuerit, ceu factum in edicto Du-  
cis*

cis Augusti glor. mem. de anno 1645. velexedendo modum in venando , capiendo scilicet feras majores loco minorum, vel ultra terminos venationem extendendo (2) subditos immodicis servitiis , mit übermäßigen Jagt- Frohenen / premendo. Quamvis enim subditi servitia hæcce debeant , Magn. Dn. Preses in Pral. suis ad Inst. tit. d. Acqu. Rer. Dom. §. 16. immodice tamen eadem exigenda non sunt Gail. I. obs. 17. secus facientes ob abutum jure suo privari possunt, arguento §. 2. Inst. de his qui sui vel al. jur. Philip. us. pract. lib. I. eclog. 43. num. 3. Generaliter enim totes quis privilegium meretur amittere, quoties permissa abutitur potestate c. 7. dist. 74. c. 63. caus. II. qu. 3. c. 43. caus. I. qu. 1. c. 23. 84. caus. 25. qu. 2. up  
§. IV.  
Amittitur (2) jus convefiandi si quis ob delictum omnibus bonis , privilegiis, immunitatibus, vel castro & territorio in feudum dato, cui hoc jus annexum erat, privatur. Qnod evenit condemnatis ex L. Julia Maj. ut & in bannum imperii declaratis Carpz. pr. crim. p. I. qu. 36. & p. 3. qu. 140. n. 17. & seqq. Quibus enim modis feudum amittitur, iisdem & jus venandi & convefandi feudo annexum. Struv. synt. Jur. feud. c. 15.  
§. V.  
Amittitur (3) contraria præscriptione, quando quis sc. per longum, longissimum, vel immemoriale tempus jus suum , licet occasionem habuerit, non exercuit, sed potius prohibitioni alterius acquieavit. Et hæc immemorialis præscriptio etiam Principem a jure convefandi excludere potis est , tempus autem hoc incipit currere a die prohibitionis & factæ partitionis, nec non a

\* (45) \*

tempore , quo occasio utendi se obtulit, alter vero ea non usus est. Quamvis enim regulariter solo non usu haud amittatur convenatio, quodsi tamen occasio adfuit, neque alter ea usus est, quin tunc non usu jus convenandi amittatur, & alter , in cuius fundo mihi convenatio competebat, libertatem fundi contra me praescribat, extra dubium elt. *Carpz. p. 2. conf. 3. def. 23. Et p. 3. c. 32. d. 18.* Tutius igitur est , quandoque jus suum exercere, utut in locis in quibus competit , vel parum , vel nihil ferarum reperiatur.

**SOLI DEO GLORIA.**



\* (41) \*

temperate, duo occido, tereti et opulenti, stricto asio et  
hunc ducas eis. Quamvis enim leprosa sit, tali non perit  
piscis autem luculentus asperio, ducendus est, quem occido, sanguis  
duces a sacerdoti et a clericis, dum tunc non nisi ipsa conve-  
nientia sacerdotum, sacerdotum, in causa iustitiae, sibi conve-  
nientia conubiebat, ipsius etiam tempore, cum contra me bisigiti,  
e. 35. A. 13. Tunc ergo sicut erit, ducendone has summa  
excellentes, meritu locuti in diplomis conubiebat, ac si  
parvum, ac nullum fecerat.

Lebenditur

SOTI DEO GLORI.



Helmstedt, Diss., 1710-12


ULB Halle  
006 570 348


3



Sb.

vDn8





## Farbkarte #13

B.I.G.

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
--	------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

2. num. 21. A.D. 22.  
 IURIDICA IN AVGVRALIS  
 DE  
**CONVENANDI**  
 GERM.  
 pel - **Gagten**  
 QVAM  
**MAX. FAVENTE**  
 O ET AVTORITATE  
**ICTORVM ORDINIS**  
**LVSTRI JVLIA**  
**RÆSIDE**  
**HOMBORGIO**  
 TARVM PROFESSORE PVBL.  
 VICE - RECTORE ET SVI  
 NO SPECTABILI DICASTERII  
 WOFFERBYTANI ASSESSORE  
 RAVISSIONE  
**AC PROMOTORE SVO**  
**TEM OBSERVANDO**  
**LICENTIA**  
**TROQVE JVRE HONO-**  
**LEGIA DOCTORALIA**  
 ONSEQVENDI  
**RVDIT ORVM EXAMINI**  
 SEPTEMBRIS ANNO MDCCX.  
**VLEO MAJORI**  
 TE ET POMERIDIANIS  
**LICE SVB FJCIET**  
**VS SÖNLEIN, WOFFERBYT.**  
 VOCATVS ORDINARIVS.  
**ELMSTADII,**  
**F GANGI HAMMII ACAD. TYPogr.**